Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26419
Copyright: Admont, Benediktinerstift



legitur. Ve his qui dicunt bonum esse malum etc.
Quid ergo malus homo nisi mala natura. quia homo
natura est. et si homo aliquid bonum est quia na
tura est. quid est malus homo nisi malum bonum.
sed bonum quia homo. malum vero quia iniquus.
Quid ergo dicit quod malum est homini esse aut quod
bonum est iniquum esse. incidit in illud. Ve
his qui dicunt quod b. est m. etc. Augustinus.
Abstinere a cibo non est substantia. et tamen
substantia corporis si omnino abstineatur
a cibo. ita languescit et frangitur
ut si aliquo modo perduret in uita. uix
possit ad illum cibum reuocari. unde
abstinendo uiciata est. sic non est sub-
stantia peccatum. sed dicitur substantia est. et uerus
cibus rationalis anime. a quo per inobedientiam
recedendo percussum est cor hominis. et
aruit sicut fenum. Item. Potest homo uel an
gelus non esse iniustus. iniustus autem non potest esse
nisi homo uel angelus. et bonum quod angelus.
malum quod iniustus. ex bonis mala or-
ta sunt. et nisi in aliquibus bonis non sunt. nec
erat unde oriretur ulla mala natura.
non fuit unde primitus oriretur uolun
tas mala nisi ex angeli et hominis natura
bona. Augustinus. Affectus tuus
operi tuo nomen imponit. quomodo a te proficiscitur.
sic estimatur. non est enim bonum nisi
ex bona uoluntate proficiscatur.
Secundum illud apostoli. Si uolens hago m. h. etc.
Secundum affectum dominus suscipit opus nostrum.
mentem nostram prius interrogat. et beatus
est qui quod habet ex affectu facit. duo
era uidue protulit dominus diuitum
muneribus. Affectus igitur diuitem
facit collationem aut pauperem.

et precium rebus imponit. Opera secundum
affectum bona uel mala. magna si-
ue parua iudicantur. Augustinus.
Ante fidem non sunt bona opera. ubi fides non
est. bonum opus non est. bonum opus intentio
facit. intentionem fides dirigit.
Ysydorus. Malum a diabolo non creatum
sed inuentum. et ideo nichil est malum. quia sine
deo factum est nichil. Deus autem malum non fecit.
uicium natura non est. et uicio suo non ali-
unde diabolus malus factus est. qui cum
esset bonus angelus. superbiendo factus
est malus. et ideo dicitur abeo inuentum esse
malum. et nullam esse naturam mali. ma-
lum ideo natura nulla est. quia accedendo
in bonam naturam facit eam uiciosam. quod dum
discedit natura manet. et malum quod
inerat nusquam est. Ex eo quod uicium no-
cet natura. patet uicium naturam non esse.
quia nichil naturale nocet. dum natura
bona dampnatur pro uoluntate mala.
ipsa mala uoluntas testis est naturae
bonae. quae in tanto eam testatur esse bonam.
ut illam pro malo dicitur non relinquat in-
ultam. Item. In uniuersitate creaturarum
si extremum uermiculum naturae ma-
lum esse dixeris. uniuerse creature iniu-
riam facis. Idem. Per peccatum primi
hominis. propena mala humano generi
sunt illata. Per uersi multa mala dicunt esse
in creaturis. ut ignem quia urit. etc. Sed co-
moda illorum non considerans homo. accu-
sat in illis. quod sibi imputare debet.
cui pro peccato facta sunt noxia. quia illi
ante peccatum erant subdita. nostro enim
uicio non sua natura nobis sunt mala